



**I**oannes in Saxonía natus, & in omni genere literarum optimè educatus fuit. Is cum prima artium fundamenta feliciter iecisset, sese ad Vuitebergensem Academiam contulit, & Theologiæ magna diligentia incubuit. Hinc factum ut sacrarum literarum usum sibi familiarem reddiderit, & ob multifariam eruditionem postea doctissimis Theologis cõnumeratus fuerit. Id cum Ioannes elector Saxonie intellexisset, eum plurimum dilexit, & aliquoties secum ad Imperij comitia perduxit, ut aduersarijs se opponeret, & doctrinam Euangelij ex uerbo Dei cõfirmaret. quod etiam Ioannes gnauiter præstitit. præsertim 1526 Spiræ, & 1530 Augustæ Vindelicorũ,

ubi cum Melanchtone et Brentio idem sentiens in magna existimatione fuit. Postea uerò similtate quadam cum Luthero orta Vuiteberga discessit, & tandem ad illustris. principem Ioachimum electorem Brandenburgicum peruenit, atq; aliquandiu latuit. Cum autem postea Carolus bello Smalkaldico uictor esset, Islebius cum suo principe 1548 Augustam uenit, & sese pontificiorum Theologis coniunxit. Ibi quoq; (ut ferebatur) unã cum Iulio Pflugio, & Michaële Sidonio nouam religionis formam composuit. quam interim dum Concilium celebraretur, omnes obseruare deberent. Vnde etiam à Cæsare & Ferdinando liberale donum tulit. Postea quoq; cum in Saxonía de Adia phoris cõtentio esset, Islebius Ioachimi principis iussu Theologorum colloquijs interfuit, & suam sententiã copiosè proposuit. Hoc modo factum, ut non modo apud Germanos, sed etiam apud exteras nationes magnum sibi nomen compararit. Ioan. Sleid.